



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio II. De subiecto meriti, seu de operibus meritoriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

De Merito vt est effectus Gratiae Christi. 511

Ratio prima dubitandi. Ratio verò dubitandi primò est, quia dicit Abraham Deus: *Ego protektor tuus, & merces tua magna nimis*: id est omni merito tuo maior, ergo non est æqualitas inter meritum & præmium seculæ promissionis, eo scilicet modo quo cursus æqualis non est ex se cum brauiò, sed accedente tamen promissione Principis dicitur illud mereri qui currit in stadio.

Secunda. Secundo, visio Dei est ex se infinita non solum extrinsecè ac obiectiue, sed etiam in duratione, nam illa est ex se æterna, vnde moraliter & secundum prudentum æstimationem, est præmium infinitum, opus autem meritum, verbi gratiæ, elemosina vnus nummi omni ex parte finita est tum in duratione, tum in obiecto, tum in intensiõne, sed finiti ad infinitum nulla est proportio & æqualitas, ergo inter opus meritum & præmium nulla est æqualitas.

Tertia. Tertio, sicut potest Princeps aureæ argenteæque pecuniæ valorem augere, inò rei quæ nullius est de se valoris, verbi gratiæ, corio valorem potest tribuere, ergo non videtur dubium quin Deus operi de se imperfectissimo valorem meritum possit adiungere sola Dei voluntas & destinatio ad præmium: ergo etiam si opus non sit æquale præmio, sola Dei acceptatio potest illud facere meritum.

Affectio tertia. Dico tertio, requiri omnino ad meritum condignum vt opus meritum habeat omnimodam æqualitatem cum præmio æterno, neq; sufficere promissionem diuinam. Ita communius docent Theologi & per hanc præferim æqualitatem volunt distinguere meritum condignum à merito congruo.

Probarur. Primò enim non potest homo iustus per opus meritum esse dignus Deo, & dignus gloria, non potest mereri mercedem & stipendium nisi per aliquod opus quod sit æquale præmio: sed in Scripturis dicitur quod homo iustus per sua opera dignus est gloria, meretur stipendium & mercedem, ergo necesse est vt opus meritum sit æquale præmio. Deinde certum est quod opera naturalia, quantumuis Deus illis gloriam promitteret non possunt esse meritoria de condigno æternæ vitæ, sed si non requiritur æqualitas operis & præmij modò ad sit promissio Dei, poterunt naturalia opera esse condignè meritoria præmij æterni ergo requiritur illa æqualitas. Imò si promissio sola facit meritum condignum, quantumuis opus sit inæquale contritio peccatoris erit meritoria de condigno, quia certum est promissam illi esse remissionem peccati. Denique nulla potest esse ratio cur ad meritum condignum exigatur gratia sanctificans euehens hominem ad dignitatem filij Dei adoptiui, nisi quia per illam opus hominis iusti dignificatur, & quodammodo Deificatur sicut enim persona Verbi vnita humanitati Christi & illam sanctificans confert eius actibus valorem infinitum, quia dignificat humanitatem & denominatur operans tales actus: sic cum quadam proportionem persona Spiritus Sancti, vnita, vt dixi, animæ iusti denominatur operans actus eius supernaturales, atque adeò illos euehit ad valorem æqualem præmio æterno.

Solutio primæ difficultatis. Ad primam Respondeo quod quando dicitur *Vita æterna merces magna nimis*, id est superans valorem operis debet intelligi superare valorem operis in se sumpti, nam actus quilibet hominis in se ipso consideratus certè nullius est momenti, & nullam cum præmio æterno habet proportionem: si autem sumatur opus illud in se viliissimum prout dignificatur ab inhabitante Dei spiritu, & prout denominat illum operantem etiam immanenter certè illud opus habet quandam infinitatem, aut saltem æqualitatem cum æterna mercede. Brauium promissum quod superat laudabilitatem operis debetur ad summum de congruo non debetur de condigno.

Ad secundam Respondeo Dei visionem esse præmium duntaxat finitum, quia per illam Deus infinitus non possidet nisi finitè. In duratione autem est infinita secundum quid cum sit æterna, opus hominis iusti dignificatur per gratiam & Spiritum Sanctum, vt dixi, habet infinitatem quandam saltem secundum quid ex dignitate Spiritus inhabitantis, & constituentis filium adoptiuum, nam hereditas ita debetur filio vt illa nunquam ei possit auferri, nisi per aliquod opus malum mereatur ea priuari.

Ad tertiam Respondeo magnum esse discrimen inter bonum vile cuiusmodi est moneta, & bonum honestum ac laudabile cuiusmodi est opus meritum. Fateor utilitatem alicuius boni posse augeri per voluntatem principis, in ordine ad finem aliquem extrinsecum cuiusmodi est moneta, quæ sine dubio est bonum vile vt emi possint quæ sunt necessaria: princeps videlicet augere potest valorem monetæ si velit vt pro tali moneta dentur res tanti valoris: nego autem posse augeri à Principe honestatem ac laudabilitatem alicuius operis, non enim facere potest etiam ipse Deus vt opus quod non est in se laudabile intrinsecè, sit intrinsecè laudabile. Valor autem meritorius est honestas & laudabilitas intrinseca operis, quam augere nullo modo potest extrinseca Dei promissio.

QVÆSTIO II.

De subiecto meriti, seu de operibus meritoriis.

Dixi existentiam, quidditatem, & diuisionem meriti, vnde constat opera nostra esse verè ac propriè meritoria vel condignè vel congruè. Nunc præcipua difficultas est quænam conditiones exigantur in opere bono vt condignè meritorium sit vitæ æternæ: illæ autem conditiones possunt se tenere primò ex parte Dei, & illa, vt dixi, sola promissio est, non autem debitum vllum strictæ iustitiæ. Secundo tenere se possunt ex parte operis meritorij. Tertio, ex parte personæ merentis: primum illud caput iam dictum est, duo posteriora huius loci propria sunt.

SECTIO I.

Conditiones ex parte ipsius operis requisitæ vt illud sit meritorium.

Ad actum de condigno meritorium requiruntur sine dubio aliquæ conditiones quorum vna si defuerit tollitur condignitas meriti, & æqualitas eius ac proportio tota cum præmio. Possunt autem quatuor excogitari conditiones ad condignitatem meriti requisitæ in ipso actu. Prima vt sit actus positius non autem pura omisso. Secunda vt sit moraliter honestus. Tertia vt sit supernaturalis. Quarta vt sit ex influxu charitatis.

§. I.

Utrum requiratur ad meritum actus positius, & moraliter bonus, an verò sufficiat pura omisso.

Ratio dubitandi est primò, quia pura omisso actus mali est meritoria si esse potest libera & procedere ex motiuo verè honesto, sed esse potest libera & procedere ex motiuo sicut in superioribus sæpè probatum est, si enim omittam peccatum aliquod tunc quando cognosco illam omisionem esse honestam, illa omisso pendet à motiuo honesto & est libera, ergo illa omisso est meritoria.

Prima ratio dubitandi.

Secundò,

Secunda. Secundò, illa omisio est meritoria æquè ac actus positivus, si ad eam non minus est necessaria gratia quàm ad actum positivum, non est autem minus necessaria gratia Dei etiam supernaturalis, ut aliquis omittat peccatum cum gravi instat tentatio, quàm ut eliciat opus bonum positivum, ergo illa omisio est æquè meritoria. Imò pura omisio actus boni præcepti est verè peccatum, & meretur poenam, quia est vituperabilis, sed omisio actus prohibiti est verè laudabilis, ergo est meritoria, quod enim laudem meretur, meretur præmium, quis? autem neget laudari debere illum qui gravi resistit tentationi ad vindictam, aut ad voluptatem, aut ad rapinam impellenti; sic enim laudabilem eum esse prædicat Scriptura qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit *Quis hic*, inquit, & laudabimus eum.

Tertia. Tertio, si requiritur actus positivus, ille vel est actus solum internus, vel est actus solum externus, primum dici non potest: nam alioqui esset proflus inutile dare eleemosinam aut alia facere bona opera: non secundum nam actus externus non habet bonitatem distinctam à bonitate actus interni, ergo non habet meritum distinctum, ergo ille qui dat eleemosinam & vult illam dare, non plus meretur quàm ille qui vult dare: frustra ergo sunt omnes actus externi boni.

Affertio I. Dico primò, puram omissionem esse non posse meritoriam, sed ad meritum quodlibet requiritur actum positivum, liberum & moraliter honestum.

Probatur prima pars. Prima pars de pura omissionem quam nego esse meritoriam, constat ex dictis olim de moralitate: nam ad hoc ut aliquid sit meritorium requiritur honestas moralis, pura omisio esse non potest moraliter honesta cum ad honestatem, ut ostendebam ex Philosopho necesse sit ut honestas ipsa propter se ametur, nihil enim est propriè ac perfectè laudabile nisi quando bonitas operis movet, ergo pura omisio non potest esse meritoria.

Probatur secunda pars. Secunda etiam pars de libertate ac honestate, probatione non eget, sic enim habetur Ecclesiastici 37. *Qui probatus est in illo & perfectus est, erit illi gloria aeterna*, deinde verò explicat, *quis ille sit, qui potuit transgressus facere mala & non fecit*, quia scilicet omnis bonitas supponit libertatem, quâ sublatâ nihil est laudabile: sicut neque laudem meretur quod non est honestum moraliter.

Solutio primæ objectionis. Ad primam Respondeo concedendo puram omissionem esse posse liberam, & suo etiam modo procedere ab honesto motivo, sed nego illud sufficere ad honestatem & ad meritum ad quod exigitur ut honestas positivè ametur.

Secundæ. Ad secundam Respondeo plura requiri ad meritum & ad honestatem quàm requiratur ad peccatum, fateor quod ad vincendam tentationem gravem impellentem ad malum necessaria est gratia, etsi nullus eliciatur actus positivus, sed purè omittatur malum prohibitum, sed nego illud omne meritorium esse ad quod necessaria est gratia, nam ad servandam legem naturalem secundum substantiam, necessaria est gratia, & tamen huiusmodi observatio non est meritoria ut patet cum sit purè naturalis ut mox dicam. Fateor puram omissionem actus prohibiti esse liberam & malam moraliter, nego autem puram omissionem actus mali esse moraliter honestam, plura enim requiruntur ad bonitatem quàm ad malitiam. Vnde omisio actus præcepti est verè vituperabilis sed imperfectè tantum, quia non est moraliter honesta. Quando laudat Scriptura eum qui potuit transgredi & non est transgressus, non loquitur de pura omissionem, sed de omissionem proptè regulariter solet fieri, iungitur enim semper cum vo-

luntate positiva non peccandi.

Ad tertiam Respondeo actum externum eodem modo esse meritorium quo est honestus, solus enim nec est bonus nec meritorius, iunctus autem interno actui auger extensivè bonitatem & valorem meritorium. Itaque certum est quod actus virtutum purè interni sunt valde meritorij etiam si soli sint, verbi gratiâ, velle dare Eleemosinam, velle humiliari, velle obedire, velle ieiunare, pati durissima pro Christi Nomine, quis enim neget actus illos optimos esse atque adeò etiam si ad actum externum non prodeant erunt tamen reuerà meritorij. Actus externi si soli sint sine actu interno verè honesto, nihil habent meriti & laudis cum non habeant veram moralitatem formalem nisi per denominationem ab actu interno à quo totam laudem & meritum derivant: Actus verò externi iuncti actui interno sunt magis meritorij extensivè quàm solus actus internus, id est per se loquendo non maius meretur præmium modò actus internus efficax sit, & per me non stet quin fiat actus externus, sed extensivè maius præmium meretur id est actus externi iuncti actui interno præmium idem merentur, sed non merentur maius præmium essentiale. Nego autem frustra esse actus externos quando possunt fieri, quando autem fieri non possunt certè ad meritum non requiruntur; quia si possum dare, verbi gratiâ Eleemosinam, & illam non dem, non possum habere actum internum ita efficacem & perfectum ac si eam dederò. Vnde actus internus non erit ita meritorius ac si dærem: si verò non possum illam dare, habeam autem voluntatem dandi si possem, certum est me non mereri minus quàm si de facto dærem. Et hæc est virtutum perfectorum mirabilis negotiatio per quam augment meritum incredibiliter, eliciunt enim intensissimos actus purè internos omnium virtutum, & in iis eliciendis adhibent omnem operam & conatum. Deinde actibus externis quibuslibet maximis aut minimis, bonis aut indifferentibus internos actus & feruentes, & frequentissimos interserunt: quod quæ aliquo tempore constanter fecerit, ille auget in immensum diuitias gratiæ ac gloriæ & ingreditur in abundantia sepulchrum quasi aceruus tritici. Quia scilicet tota bonitas, & totum meritum in solo actu interno residet formaliter, in externo autem est solum denominativè ab interno actu.

S. II.

Vtrum requiratur ad meritum ut actus sit supernaturalis & ex influxu charitatis.

Hæc etiam est pulcherrima & ad praxim utilissima controversia, in qua quæritur vtrum actus virtutum purè naturales hominis iusti, qui Filius Dei est adoptivus sint meritorij gloriæ quando non imperantur ab actu supernaturali, vel etiam quando imperantur, vtrum meritorij tantum sint extrinsecè ac denominativè, an verò meritum habeant intrinsecum & proprium: & demum vtrum virtutum supernaturalium distinctarum à charitate sint meritorij quamvis ab ea non imperentur.

Ratio dubitandi est primò, quia illi actus sunt meritorij qui dignificantur per gratiam & Spiritum Sanctum inhabitantem, sed actus virtutum naturalium hominis iusti dignificantur per gratiam & Spiritum Sanctum inhabitantem, ergo illi sunt meritorij. Probatur maior, quia dignitas personæ operantis dignificat opera illius personæ, & dignitatem illi communicat. Nam hæc est ratio cur actus supernaturales hominis iusti sint meritorij, quia derivant dignitatem suam à persona operante, ut dixi. Imò dignitas personæ

personae in Christo dignificabat opera etiam naturalia Christi, & reddebatur meritoria infinitè, ergo dignitas personae in homine iusto dignificat actus naturales virtutum.

Secundò. Secundo actus naturalis quantumcunque fiat ex imperio actus supernaturalis, manet semper entitatiuè naturalis & improporcionatus cum prämio supernaturali, imò & potest fieri sine gratia & cognitione fidei, ergo actus naturalis etiam imperatus ab actu supernaturali non habet meritum proprium, & intrinsecum. deinde illi actus eo tantum modo sunt meritorij quo sunt supernaturales, sed non sunt supernaturales nisi extrinsecè ac denominatiuè, ergo non sunt meritorij nisi denominatiuè & extrinsecè. Denique actus naturales non dignificantur per gratiam habitualem, ergo non dignificantur per actum imperantem.

Tertiò. Tertiò, soli Charitati totam rationem meriti attribueri videntur scriptura & sancti Patres, aliàs enim dicunt quod soli charitati parata est merces. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae preparauit Deus diligentibus se.* Alias dicunt nihil prodesse opera bona sine charitate, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam charitatè autem non habuero, nihil mihi prodest: imò Dixerat prius, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam charitatè autem non habuero nihil sum. Et ne dicas Apostolum de sola loqui charitate habituali subiicit statim charitas patiens est benigna est &c. omnia credit omnia suffert omnia sustinet quos certum est esse actus charitatis.

Dico Secundo, esse necessarium simpliciter ut actus meritorius hominis iusti non sit purè naturalis, sed ut sit eliciens vel imperatus à virtute supernaturali, quod sufficit ut actus naturalis habeat meritum proprium & distinctum à merito actus supernaturalis à quo est imperatus.

Prima pars negans actum virtutis purè naturalis esse posse meritum aduersarios plures habet, qui existimant omnes actus virtutum naturalium hominis iusti ita dignificari per gratiam ut mereantur gloriam etiam si nullo imperentur actu supernaturali, sic enim docent valentia q. 6 p. 3. vasques disp. 207. qui & plures citant. Contrarium multo probabilius docent Bellarminus & Suarez.

Ratio est primò, quia certum est quod nemo sine auxilio gratiae potest vllum habere meritum aeternae vitae, ut supra ex Conciliis saepe dictum est, sed actus purè naturalis etiam moraliter bonus potest ab homine iusto elici absque auxilio gratiae, non enim egeamus actuali gratia ad quolibet actus facillimos, ergo nullus actus hominis iusti si purè sit naturalis esse potest meritorius. Deinde si actus naturales moraliter boni condignè meritorij sunt gratiae ac gloriae certè nulla ratio cogit ut dicamus dari actus aliquos supernaturales secundum substantiam, actus enim sufficientes purè naturales. Denique à priori ratio est quia illi actus purè naturales non possunt esse meritorij, si non dignificantur per gratiam, sed non dignificantur, ergo non sunt meritorij. Probatur minor quia gratia accidentalis non dignificat opera hominis iusti eo modo quo sanctitas personae Verbi sanctificat & dignificat opera humanitatis vnitae: gratia enim accidentalis se habet tantum per accidens ad actus illos ad quos non influit per habitum infusum, cuius radix est ipsa gratia: dignitas autem personae in Christo cum sit substantialis non se habet per accidens ad vllas actiones Christi, semper enim actiones sunt suppositorum, atque adeò moraliter influit & dignificat omnes actiones Christi, redditque meritorias illas omnes quae capaces sunt meriti cuius-

Tom. I.

modi sunt actiones omnes moraliter bonae.

Secunda pars asserens meritum esse actum naturalem imperatum ab actu supernaturali non extrinsecè solum & denominatiuè, sed intrinsecè merito distincto & proprio negatur à nonnullis Theologis, sed immeritò ut rectè ostendit suares l. 12. c. 11. Ratio est, quia ut aliàs dixi actus voluntatis qui dicitur electio habet bonitatem ab intentione bona, sicut accipit malitiam ab eius malitia qui enim furatur ad fornicandum sine dubio peccat, sed dupliciter, quando actus naturalis imperatur per actum supernaturalem, actus naturalis est electio, & actus supernaturalis est intentio, ergo actus naturalis imperatus sumit bonitatem ab actu supernaturali, ergo fit meritorius per illum. Deinde bonitas supernaturalis non petitur solum ex obiecto, sed etiam ex circumstantiis, sed quando actus naturalis imperatur ab actu supernaturali, & ex illius motiuo fit, habet circumstantiam supernaturalem, ergo est meritorius: alioqui essent inutiles omnes actus indifferentes purè naturales & sic frustra horreretur Apostolus ut omnia fiant à nobis in nomine domini Iesu: Imò & Christus ipse indicauit contrarium cum dixit calicem aquae frigidae datum in nomine discipuli non cariturum mercede sua.

Dico Tertiò, probabilius esse quod actus omnes virtutum supernaturalium sunt per se meritorij, quamuis non imperentur à charitate. Videtur esse contra S. Thomam, S. Bonauenturam, & Bellarminum, qui tamen benignè possunt explicari.

Primò enim quamuis verum sit quod actus qui liber charitatis maxime meritorius est ut testantur scripturae omnes, constat tamen nihilominus quod aliis etiam virtutibus merces est promissa, verbi gratia Misericordiae, *percipite regnum quod vobis promissum est, esuriui enim &c.* Mansuetudini, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram,* Pudicitiae *qui diligit cordis munditiam, amicum habebit Regem.* Deinde idem probant omnes illa scripturae ubi dicitur quod omni operi bono retribuetur gloria aeterna primò ad Corinthios 15. *abundate in omni opere bono scientes quod labor vester non erit inanis in domino,* & sanè si hoc verum non esset vilesceret studium bonorum operum, quae cum sint omnino proportionata aeternae vitae, sunt etiam sine dubio meritoria, quamuis à charitate non imperentur, sufficit enim illis bonitas intrinseca quamuis à charitate non imperentur.

Ad primam, Respondeo satis ostensum, esse quod gratia hominis iusti ea solum opera dignificat quae producantur per habitus supernaturales, ad alios enim omnes actus se habet solum per accidens, in quo differt à gratia substantiali personae Christi quae dignificat omnia eius opera.

Ad Secundam Resp. actum naturalem imperatum ab actu supernaturali esse improporcionatum obiectiue cum prämio supernaturali sed esse proportionatum ex circumstantia finis extrinseci: huiusmodi verò actum naturalem, imperatum ab actu supernaturali, nego posse fieri sine gratia & fide. Falsum etiam est illos actus eo solum modo esse meritorios quo sunt supernaturales, quia in se ipsis habent meritum distinctum à merito actus per quem imperantur, fateor enim illos non esse supernaturales nisi ex motiuo quod est ipsis extrinsecum, sed habent tamen meritum intrinsecum: gratia sola non potest dignificare actus naturales, quia non reddit illos supernaturales & ad illos se habet per accidens: actus autem imperans facit supernaturalem saltem ex motiuo extrinsecò actum illum qui est secundum entitatem naturalem.

Secunda pars probatur.

Assertio tertia.

Probatur primò est scripturae.

Solutio primae dubitationis.

Secundò.

V v v

Ad

Tertia.

Ad tertiam Respondeo nihil ex omnibus illis scripturæ locis aliud colligi, nisi quod charitas præcipue inter omnes virtutes est meritoria, & quod sine charitate saltem habituali nulla virtus est meritoria.

SECTIO II.

Conditiones ex parte operantis necessariae ut aliquod opus sit meritorium.

Prima conditio.

PRæter conditiones ex parte operis ad meritum requisitas, exigunt Doctores ex parte operantis ut ille sit in statu viæ, deinde ut sit in statu gratiæ, idem ut sit viator & ut sit iustus. Prima conditio de viatoris difficultatem non habet, quia certum est tempus viæ, tempus esse meriti, post viam nullum deinceps esse locum merendi gratiam, & gloriam monente scriptura ubique *ut dum tempus habemus operemur bonum: ante mortem benefac amico tuo inquit ecclesiast. l. 14. non defrauderis à die bono & particula boni doni non te prætereas: ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Et Christus Ioannis 9. *operamini dum dies est venit nox cum nemo potest operari* difficultas tantum esse potest quid significet tempus illud viæ extra quod nihil possumus mereri, si enim significet tempus in quo anima est in corpore morituro sequitur Heliam & Henoc qui sine dubio viuunt adhuc morituri, esse adhuc viatores, & adhuc mereri quod non est probabile, quia sic cum sint sanctissimi diuturno illo tempore meritum eorum ita cresceret, ut superare omnino deberet meritum quorumlibet sanctorum. Si autem tempus viæ significet tempus illud in quo caremus visione beata certe obstare videtur, quia Christus Deum videbat ab initio & tamen erat viator, ergo tempus viæ non est illud tempus in quo viuimus in corpore mortali, nec illud in quo expectamus visionem beatam, sed est tempus mortalis vitæ ordinarium in quo Deus decreuit acceptare actus nostros ad meritum aut demeritum. Tota enim ratio cur extra tempus viæ nemo mereri possit augmentum gratiæ & gloriæ peti non potest nisi à Dei decreto, quo vult acceptare opera nostra, vnde Christus viator fuit quandiu acceptata sunt à Deo eius opera ad merendam nobis gloriam: & probabilius est Heliam & Henoc non esse nunc in statu viæ, quia non est probabile illos non mereri nunc, quamvis certum sit quod ante diem iudicii redeuntes ad prædicandum Christum, & mortem oppetentes gloriosum patientur Martyrium tuncque verè merebuntur.

Secunda conditio.

De secunda conditione nimirum de gratiæ statu qui exigitur ad meritum duplex difficultas est prima vtrum ita necessarius ad merendum si status gratiæ ut nemo etiam de potentia Dei absoluta possit mereri condignè gratiam nisi prius natura illa habuerint. Secunda controuersia est longè grauior vtrum ex maiori gratia, magis augeatur meritum, etiam si opus non fuerit intensius.

S. I.

An & quomodo ad meritum condignum necessarius sit status gratiæ.

Sensus questionis.

DVpliciter fieri potest ut ille qui rectè operatur careat gratiâ, primò si prius peccauerit deinde vero bonum opus eliciat. Secundò, si prorsus careat peccato sed rectè operetur eodem illo instanti quo primum creatur, sicut benè operati sunt Angeli, & Adamus & per hanc operationem meruerunt gratiam de congruo. Difficultas igitur primò est quo-

modo secundum potentiam ordinariam necessaria sit gratia sanctificans ad merendum in vtroque illo statu. Secundò quomodo necessaria sit secundum potentiam absolutam

Ratio verò dubitandi est primò, quia frustra dicitur requiri statum gratiæ ad meritum, si tota ratio meriti petatur ex ipso valore operis non autem ex dignitate operantis, sed tota ratio meriti petitur ex valore operis, non autem ex dignitate operantis, nam verbi gratia Eleemozina quam dedit Princeps minoris momenti est quàm eleemozina quam dedit rusticus & sæpe dicitur *quod reddet Deus unicuique secundum opera sua*, non dicitur quod reddet secundum dignitatem personæ, quod etiam nullo certo argumento probari potest vel ex scripturis, vel ex conciliis, quæ solam ad merendum requirunt gratiam actualem, non autem habitualement hoc enim nullibi habetur.

Ratio prima dubitandi.

Secundò, frustra dicitur requiri statum gratiæ ad dignificandam personam merentem, si actus amoris possit sufficienter illam dignificare, tunc enim dignificatur quando est laude digna, & quando habet aliquid quod cum peccato est impossibile. Sed qui Deum amat laude dignus est, & habet amorem cum peccato impossibilem, ergo persona operans dignificatur per actum amoris.

Secunda.

Tertiò, si Deus acceptasset ad meritum condignum actus Angelorum & Adami eo instanti quo creati sunt, illi potuissent condignè mereri gratiam, sed Deus potuit eo modo acceptare opera bona Angelorum & Adami, ergo potuissent illi mereri primam gratiam habitualement per actum qui haberet valorem à gratia actuali, si enim gratia habitualis dignificatur, quare non dignificabit etiam gratia actualis.

Tertia.

Dico primò, statum gratiæ ita necessariò requiri ad meritum condignum, ut nemo vel secundum potentiam ordinariam, vel secundum potentiam absolutam mereri possit condignè gratiam & gloriam, nisi habuerit gratiam saltem prius natura.

Assertio prima bipartita.

Prima pars agens de lege ordinaria, certa est ex fide iuxta sensum omnium Doctorum saltem quod attinet ad eum hominem qui est in peccato, quod ille nihil possit mereri condignè definierunt duo Pontifices contra errorem Michaelis Baij cuius XIII. propositio hoc negabat & satis clare definitur in Tridentino sess. 6. c. 16. deinde colligitur ex variis scripturis quæ dicunt nihil nos esse sine charitate probarique potest, quia implicat ut homo habeat simul meritum æternæ poenæ & meritum æternæ gloriæ, sed si mereretur gratiam existens in peccato, haberet hoc vtrumque meritum simul, per gratiam enim haberet meritum gloriæ, per peccatum autem fieret reus æternæ poenæ, non enim mereri potest remissio nem peccati ut suppono ex tertia parte, ergo non potest ille qui habet peccatum mereri condignè gratiam.

Prima pars probatur.

Difficilius autem est id probare de illo qui caret peccato verbi gloria de B. Virgine in primo instanti conceptionis, de Angelis & primis Parentibus cum primum creati sunt, nam illos certum est non meruisse vel de condigno primam gratiam, actualem, primam autem habitualement meruisse solum de congruo, quia Deus primam illam gratiam non acceptat ad meritum condignum, & certè hoc est valde decens ut hæreditas condignè non debeatur ut præmium condignum nisi filiis & hoc probabit à potiori.

Quid meruerit Beata Virgo & Angeli in primo instanti conceptionis.

Secunda pars Conclusionis, quæ negat etiam de potentia Dei absoluta esse possibile ut opus sit meritorium de condigno, nisi procedat ab homine habente gratiam prius natura quàm operetur. Ratio autem est, quia implicat ut ex sola Dei acceptione

Secunda probatur pars.

ptatione ac promissione opus sit meritorium, & aequale premio quod ex se non est illi aequale, sed ad meritum condignum requiritur aequalitas operis cum premio, ergo ex sola acceptatione non potest fieri opus meritorium de condigno. Sed si Deus efficeret ut sine gratia, vel sine vnione hypostatica opus esset meritorium de condigno, illud opus efficeretur aequale premio ex sola Dei voluntate, ergo implicat ut sine gratia vel accidentali vel substantiali opus sit meritorium. Solus enim extrinsecus Dei fauor non potest dare operi aequalitatem quam ex se ipso non habet sicut non potest facere ut satisfactio purae creaturae condigna sit pro peccato, vel etiam ut opus pure naturale sit proportionatum gloriae.

Solutio primae objectionis. Ad primum Respondeo certum esse quod valor operis petitur ex dignitate operantis ut constat ex operibus Christi domini: meritum ergo petitur a valore operis & a dignitate operantis: Eleemozina quam dedit Princeps non est tanti momenti quanti est Eleemozina rustici, quia facilitas operis minuit valorem illum qui accederet ex dignitate operantis. Constat autem probari ex scripturis & conciliis necessitatem status gratiae ad meritum, praesertim cum id etiam ferat communis consensus omnium Catholicorum, & id aperte definitur Pius V. & Gregorius XIII. in Bullis contra Michaelem Baïum.

Secunda. Ad secundam Respondeo actum amoris non dignificare formaliter personam sed effectiue tantum, non enim formaliter constituit filium Dei, neque formaliter expellit peccatum habituale, sed ad summum formaliter expellit peccatum actuale, habituale vero solum dispositiue.

Tertia. Ad tertium Respondeo constare omnino ex dictis quod Deus non potuit acceptare ad meritum condignum actus illos primos Angelorum & Adami ut per illos mererentur primam sanctificationem quod satis probasse videor.

S. II.

Virum ex maiori gratia sanctificante magis etiam augeatur Valor operis meritorij

Status difficultatis. Dixi gratiam esse omnino necessariam ad meritum constituendum, nunc quaeritur virum valeat gratia maior ad illud augendum, id est utrum duo iusti habentes gratiam sanctificantem inaequalem & operantes aequaliter mereantur inaequaliter.

Prima ratio dubitandi. Ratio dubitandi grauissima est primo, quia gratia sanctificans tribuit valorem operi meritorio ut ex haecenus dictis constat, ergo maior gratia sanctificans tribuit maiorem valorem, probatur consequentia, tota ratio propter quam gratia tribuit valorem operi, est, quia confert dignitatem operanti, sed gratia maior confert maiorem dignitatem operanti, ergo si gratia tribuit valorem operi, maior etiam gratia illius augebit valorem.

Secunda. Secundo, dignitas personae operantis quod est maior, eo maior esse solet dignitas & valor operis, maior gratia est maior dignitas operantis, ergo maior gratia magis augeat meritum operis. Maior pluribus exemplis probari potest, primum & illustratissimum est dignitas personae Christi, cuius meritum ideo est infinitum, quia dignitas personae Christi est infinita, ergo quod maior erit dignitas Iusti ex maiori gratia maius erit meritum illius operum: sicut enim per gratiam substantialem Christus est filius naturalis, sic per gratiam accidentalem, homo est filius adoptiuus & operatur ut diuinae nam

Tom. I.

turae particeps. Deinde idem actus in militia factus a viro principe afficitur longe maiori premio quam si fiat a milite gregario.

Tertia. Tertio orationes hominis magis Iusti magis grati Deo, magis sunt impetratoriae, quam orationes hominis minus amici, ergo actus hominis magis amici magis sunt meritorij, videtur enim esse ratio prorsus eadem.

Quarta. Quarto ubi maior est indispositio subiecti ad aliquam formam ibi actio productiua formae debilior est, ergo ubi maior est dispositio maior est actio, sed per gratiam maiorem homo est magis dispositus ad gratiam, sublata enim gratia est indispositus, ergo ubi gratia est maior, ibi maius est meritum operis producentis gratiam.

Conclusio Secunda. Dico secundò, probabilius omnino esse quod maior gratia sanctificans ex se sola non augeat meritum operis meritorij, nisi secundum proportionem illius operis quod elicitur. Ita docebo tertia parte agens de satisfactione Christi cum Medina, Cano, Almairino contra Suarez lib. 12. lib. 22. & tom. 1. in 3. partem disp. 4. Valentiam, Henricum, Granadum, de Lugo qui contrarium late probant.

Probatur. Ratio tamen primò est ex variis absurdis quae sequuntur, si meritum est maius quo maior est gratia, etiam si opus sit minus perfectum. Primum est, quia sequeretur quod Petrus per actum remissimum ut vnum, plus mereretur quam Paulus per actum intensum ut centum. Petrus enim iustus ut centum vel ut mille actum eliciat charitatis ut vnum vel de obolum pauperi, certe obtinebit mille gradus gratiae per illum actum, si enim haberet vnum gradum gratiae, tribueret actui valorem ut vnum, ergo si habeat mille gradus gratiae, illi tribuent actui valorem ut mille, sicut enim gratia vnionis quia est infinita, tribuit actui valorem infinitum, quia secundum suam dignitatem communicat valorem operi, sic gratia ut mille tribuit operi valorem ut mille; Paulus autem ut suppono habet tantum gratiam ut vnum, ergo illius actus non accipiet ab ea gratia valorem nisi ut vnum, ergo illius actus etiam si sit intensus ut centum minorem habebit valorem quam actus Petri remississimus, quod statim apparet esse absurdum.

Secundum absurdum. Alterum absurdum est, quia sequeretur quod si Petrus & Paulus aequaliter vixissent annis centum, aequaliter augentes gratiam per actus difficillimos & generosissimos, Petrus autem vnico instanti viuere Paulo mortuo, & eo instanti actum eliceret virtutis imperfectissimum, sequeretur, inquam, quod Petrus haberet gloriam duplo maiorem quam Paulus qui citius vnico instanti esset mortuus. Hoc autem nemo sapiens sibi persuadeat. sequela euidens est, quia si vnus gradus gratiae adicit merito vnum gradum, centum gradus gratiae dabunt centum gradus meriti.

Tertium absurdum. Tertium absurdum est, quia sequeretur augmentum meriti debiti cuilibet minimo actui esse infinitum. Nam minimus gradus temperantiae cum gratia ut vnum, meretur vnum gradum gratiae, ergo actus fortitudinis ut vnum, cum gratia ut vnum merebitur duos, & actus iustitiae merebitur quatuor & sic deinceps, imò cum sint possibiles virtutes infinitum minores, quam temperantia, sequeretur quod actus temperantiae imperfectissimus merebitur gratiam infinitam. Denique sequeretur quod nullus homo iustus bene operaretur vnquam, quin ad minimum totam gratiam duplicaret v.g. si haberet centum gradus gratiae, nullus esse posset minimus actus meritorius in quo non reciperet centum gradus. Quod esse falsum demons trahitur initio sequentis tractatus.

T T. 2

probatur

probatur autem autem sequi, quia minimus actus temperantiæ cum gratia ut vnum, meretur vnum gradum gratiæ, ergo actus temperantiæ ut vnum cum gratia ut duo meretur duos gradus gratiæ, quia nulla est pars vel indiuisibile gratiæ cui non respondeat pars aliqua meriti.

Non bene
soluuntur
argumen-
ta.

Neque dici potest argumenta esse calculatoria quibus responderi possit incrementum meriti non fieri arithmetice secundum proportionem graduum gratiæ, sed fieri secundum proportionem geometricam, ita ut maius sit meritum ubi est maior gratia, sed non præcisè tamen recipiat tot gradus intensiōis, quot sunt gradus gratiæ.

Fortis in-
stantia.

Sed contra instari potest, si maior gratia magis augeat meritum sequitur quod eodem modo accidentalit dignitas personæ augeat meritum in homine iusto, quo substantialit dignitas personæ Christi augebat valorem operum eius, sed dignitas personæ Christi augebat valorem operum secundum proportionem arithmeticam in numero graduum, non autem secundum proportionem geometricam, ergo accidentalit dignitas personæ iusti augebit eius meritum secundum numerum graduum. Maior est clara, quia nulla potest excogitari ratio cur dignitas gratiæ substantialit augeat secundum se totam, valorem operum: dignitas verò accidentalit augeat quidem sed non secundum se totam. Imò valet argumentum propositum, quia si nullum est indiuisibile nec vlla pars gratiæ, cui non respondeat nouum meritum, certè necesse est ut meritum tot recipiat gradus, quot sunt gradus in ipsa gratia. Denique si geometricè cresceret meritum deberet crescere in altera specie, quod absurdum est, quia sic daretur homini habenti gratiam ut quatuor, meritum diuersæ speciei à merito quod datur homini habenti gratiam ut quinque. Imò daretur homini elicienti actum temperantiæ gratia diuersæ rationis à gratia quæ datur homini elicienti actum fortitudinis. Quod dicere cogitur de Lugo recurrens ad actus Eterogeneos gratiæ ut soluat argumenta quæ proposui.

Ratio à
priori.

Secundò, à priori ratio est illa quam afferebam, quia dignitas accidentalit personæ quæ prouenit à gratia, differt à gratia substantiali quæ est in Christo, quia non potest dignificare opera secundum totam illam perfectionem quæ se habet per accidens ad illa opera, alioqui dignificaret etiam opera quælibet talis personæ: sed perfectio gratiæ in homine iusto non se habet per se ad opera bona nisi quatenus physicè influit in illa opera per habitus supernaturales, ergo, non potest illa dignificare nisi quatenus physicè influit in illa opera, id est secundum proportionem quam habent in se talia opera, sic enim actus ut vnum hominis iusti ut octo, non meretur gradum gratiæ nisi vnum. Confirmatur optimo argumento à pari, quia si gratia maior augeat meritum ex se ipsa sequitur quod maius est & maiori pœna dignum peccatum illius qui plura iam commisit, quàm peccatum commissum ab eo qui pauciora commisit peccata: si enim dignitas personæ augeat meritum, certè indignitas augebit peccatum; hoc autem absurdum est, ergo maior gratia non augeat meritum, si ad illud se habeat per accidens, sicut præcedentia peccata se habent per accidens ad peccatum sequens, & idèd non efficit ut sit maius & maiori dignum pœna. Vnde.

Solutio
primæ dif-
ficultat.

Ad primam Respondeo verum esse quod gratia tribuit valorem operi quoties ad illud non se habet per accidens, sed ad illud influit per habitus infusos, & eo modo gratia maior augeat meritum operis quando perfectius est opus. Quoties autem ad illud se habet per accidens, non augeat meritum operis.

Ad secundam eadem responsio est, admitto enim *Secunda.* quod maior dignitas personæ secundum moralem æstimationem augeat valorem operum quoties non se habet per accidens, ut in Christo dignitas personæ cum esset ratio suppositi dignificabat secundum se totam minima opera Christi, quia non se habebat per accidens ad vllum eius opus cum actiones sint suppositorum. Idem dico de viro principe qui strenuè in bello se gerit eius enim opera digniora sunt, quàm actus militis gregarij, dignitas enim personæ non se habet per accidens ad huiusmodi opera. Sed hæc omnia valent in homine iusto, tunc duntaxat quando intensius operatur, alioqui maior dignitas gratiæ se habet per accidens ad eius operationes.

Ad tertiam Respondeo impetrationem esse valde *Tertia.* diuersam à merito, impetratio enim non inducit debitum vllum iustitiæ, quod inducit meritum. Vnde fateor quod orationes hominis magis iusti magis impetrant, quia præcedentia merita influunt in hanc orationem & quasi postulant à Deo: actus verò meritorij hominis iusti non magis merentur, quia merces rependitur huic operi propter ipsum; non autem propter actus præcedentes.

Ad quartam Respondeo quod quando dispositio *Quarta.* subiecti se habet per accidens ad formam, tunc actio non est maior, quando iustus magnam habens gratiam operatur imperfectè tunc gratia illa maior non se habet per se ad meritum, vnde non potest augere meritum, quia non est dispositio nisi quatenus influit in actum per habitus supernaturales ut satis videtur probatum.

§. III.

Corollaria de conditionibus meriti congrui, & de iis quæ augent meritum.

EX his quæ hæcenus dixi de conditionibus meriti condigni, tùm ex parte Dei præmiantis, tùm ex parte operis meritorij, tùm ex parte personæ merentis colligi possunt duo.

Primum est quod ad hoc ut aliquod opus sit meritorium de congruo aliqua requiruntur conditiones quibus deficientibus nullum etiam est tale meritum.

Primo, enim ex parte Dei acceptatio requiritur & *Prima con-* promissio, eodem modo & eadem ob causas ob quas *ditio ut* requiritur ad hoc ut meritum condignum sit propriè *opus sit* meritum, ex quo infallibiliter præmium sequatur, *meritorium* nam quoties hoc meritum non est infallibile non ne- *de con-* cessario supponit promissionem Dei. *gruo.*

Secundò, ex parte operis requiritur ut sit actus *Secunda* positius, pura enim omisso non sufficit, requiri- *conditio.* tur actus liber moraliter honestus & supernaturalis, actui enim naturali nihil promittit Deus supernaturale. Denique omnia requiruntur in opere congruè meritorio, quæ necessaria sunt ad opus meritorium condignè, præter æqualitatem.

Tertiò, ex parte operantis requiritur ut sit viator, *Tertia.* non requiritur ut sit iustus: multa enim de congruo mereri potest peccator ut latè declaratur à Suarè l. 12. c. 37. Denique multa meremur aliis congruè, condignè autem non meremur nisi nobis: solius enim Christi est mereri aliis condignè ac omnino infallibiliter: iusti autem sibi mutuo profunt congruè tantum, & sine omnimoda certitudine sequuntur effectus.

Secundùm est, quanam sint opera ex quibus col- *Secundum* ligi possunt ab homine iusto merita immensa, ut satis *corolla-* patet ex dictis superiori disputatione de augmento *rium.* gratiæ.

Prima est essentialis perfectio actuum virtutis qui *Prima con-* eliciuntur, nam quòd virtus est perfectior, eo *ditio.* etiam eius actus sunt ex obiecto perfectiores atque *adeo*

ad id magis meritorij, nam ut eo loco dixi actus virtutum Theologicarum longe præstant actibus virtutum moralium, inter Theologicas autem præstantissimi sunt actus charitatis Dei & proximi interni & externi: inter morales præstantissimi sunt actus virtutis religionis, & inter eos votum rei difficillima superat merito & dignitate alios omnes actus, quia in virtute religionis nihil est præstantius, imò nulla ferè virtus est quæ non includatur perfectissime in votis statum religiosum constituentibus.

Secunda conditio. Secunda est perfectio intensiva actus interni voluntatis, id est summo cum affectu magno cum conatu, magno cum gaudio, id est magno cum fervore actus eliciantur: actus enim internus est, qui totum continet meritum, unde ille si fit solus, ut dixi, est maxime meritorius, & cum etiam minimum actum externum informat, applicat illi totum suum meritum.

Tertia. Tertia est perfectio extensiva multitudo scilicet & frequentia illorum actuum, cum videlicet per annos plures sine interruptione illi exercentur, imò cum in quolibet actu externo plures adhibentur actus diversarum virtutum: tunc enim mirum omnino est quantum crescat & abundet gratia, si constanter per annos plures exercentur huiusmodi actus.

Quarta. Quarta est duratio singulorum actuum, quia continuatio actuum augeat meritum eorum ut probabo postea. Quæ quatuor quisque diligenter consideraverit ut supra monebam, ille inveniet viam tutissimam negotiandi, & thesaurizandi sibi thesauros in cælo.

QVÆSTIO III.

De obiecto meriti, siue de premio quod mereamur.

HOC vnum superesse videtur de merito, postquam enim statui nos mereri per nostros actus, & per quos actus mereri possimus, restat dicendum quid mereamur. Possunt autem quæcunque mereamur reuocari ad tria capita. Primum, dona gratiæ actualis. Secundò, dona gratiæ habitualis. Tertiò, dona gloriæ, id est vocationem, iustificationem, glorificationem.

SECTIO I.

An & quomodo mereri possimus auxilia gratiæ actualis.

Certum est primò, quod nemo secundum potentiam ordinariam mereri sibi vnquam potest vel condigne vel etiam congruè vel proximè vel remotè primam gratiam actualem, quæ elicitur primum bonum opus. Ita censent Catholici omnes tanquam fide certum contra Semipelagianos, qui volebant primam gratiam dari ex meritis ut supra sæpè dictum est: & ratio assertur clarissima præter Scripturas & Concilia in quibus id definitur. Si enim mereatur aliquis primam gratiam, vel illam mereretur per opus aliquod naturale, quod constat esse impossibile, vel per aliquod opus supernaturale, & hoc fieri non potest quia illud opus supernaturale præsupponeret gratiam, ergo non posset causare gratiam, & esse illa prior ut magis constabit etiam ex sequentibus.

Homo iustus potest mereri aliter gratiæ de congruo. Certum est secundò, quod homo iustus mereri aliter potest primam gratiam de congruo non de condigno. Ratio est, quia multi sæpè Sancti possunt esse causæ totius prædestinationis aliorum, nulla enim in hoc est implicantia. Imò constat quod Sanctus

Stephanus meritis est Sancto Paulo vocationem illam magnam & efficacissimam quæ ex lupo factus est agnus. De condigno autem nemo potest mereri etiam alteri gratiam quæ resurgat à peccato, quia hoc est solius Christi proprium qui solus etiam potuit satisfacere pro peccato.

Certum est tertiò quod mereri sæpè possumus plures gratias actuales quæ sequuntur primam illam gratiam quam nullus mereri potest: quia in eo nulla est implicantia quod per opus factum ex gratia, promereamur ut Deus vltiores gratias tribuat: imò hic est ordo convenientissimus providentiæ quem etiam ordinariè Deus servat in distributione gratiarum, iuxta illud Matth. 13. *Habenti dabitur, & ei qui non habet auferetur ab eo*, Vbi significatur quod Deus ei qui vacuas esse non sinit gratias acceptas, confert novas & novas: ei verò qui abutitur gratiis acceptis, denegat gratias posteriores, *Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam*. Et hoc est canticum illud luctuosissimum quod Deus vineæ suæ cantat Isaia 5. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci, &c. Et nunc ostendam vobis quid? ego faciam vineæ meæ, auferam sepem eius & erit in direptionem, &c. His positis.*

Tota difficultas est primò, vtrum per potentiam Dei absolutam fieri possit ut mereatur sibi aliquis primam gratiam. Secundò, an & quomodo mereri possimus gratias efficaces, & donum finalis perfectionis.

§. I.

Vtrum per potentiam Dei absolutam mereri aliquis sibi possit primam gratiam actualem.

Quamuis fateantur Catholici omnes esse secundum potentiam ordinariam impossibile ut mereatur sibi aliquis primam gratiam, quod tamen secundum potentiam absolutam possumus illam mereri, multi docent grauissimi Theologi cum Suare, & Coninck disp. 8. qui non vno id modo explicant.

Ratio enim dubitandi est primò, quia si possunt causæ sibi esse mutuo causæ, ac dari mutua causalitas inter causam & effectum, potest etiam principium meriti siue prima gratia cadere sub merito: sed non est implicantia quod causæ præsertim moralis & physica sibi sint mutuo causæ, cum se mutuo causent causa finalis & efficiens: neque contradictio esse possit si sub diuerso respectu causæ & effectus sint inuicem priores & posteriores.

Secundò, dicit Suares admittendum hic esse ordinem intentionis & executionis, potest autem principium meriti siue auxilium gratiæ prout existens in executione causari per meritum existens in intentione, ergo potest mereri homo principium meriti per opera ordine naturæ posteriora quàm principium meriti.

Tertiò, Coninck num. 109. probat, posse fieri ut homo mereatur primam gratiam, quia Deus infundere potest illi gratiam, quam deinde merebitur per opera non ordine solum naturæ sed etiam tempore posteriora quàm meritum: Cur enim non potest hodie mihi dare gratiam, quæ nunc sum indignus, cras autem reddam me dignum illa gratia per opera bona quæ vel eliciam per tale auxilium gratiæ, vel per aliquod aliud auxilium ab eo priori dependens: sicut Rex præuidens strenuum aliquem militem egregiè pugnaturum, dat illi arma quibus benè pugnet: & sicut mercator vendere mihi potest merces quas postea soluam, videtur enim esse paritas omnimoda si Deus mihi det hodie gratiam pro cuius solutione cras ego rependam opus bonum.

T T t 3

Dico

Meretur gratias actuales.

Ratio prima dubitandi.

Secunda.

Tertia.